



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,  
Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

Quod amor reficit hominem, 20

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](#)

O amantissime Domine Iesu Christe , ego miserrimus & pravissimus peccator omni dilectione vacius, sed malitia & iniquitate plenus , te , ut debuisssem , non dilexi : sed cor durum & vagum habendo , ad diligenda frequenter mihi damnosa & noxia ipsum applicui , quod erigere digneris Domine ad te amandum semper : ut vita mea & gloria mea sit dilectio tua sempiterna, Amen.

## C A P V T X X .

*Quod amor Dei reficit hominem.*

1. **N**on honor , non pecunia , neque aliqua terrena substantia , nec etiam virtus , nec ars aliqua vel scientia , ( benignissime Domine Iesu Christe , plenitudo amoris ) potest implere animam , & satiare conscientiam , sed sola & vera dilectio tua. Nam dilectio aut est cum gratia , aut sine : at sine ea non potest esse dilectio vera. Illud autem quod in via potest solum reficere & quietare animas , est gratia , cum qua similiter est dilectio vera. Et quia qui diligit te Domine , habet te , sicut scriptum est : *Si diligimus invicem , Deus in nobis manet :* non potest esse pauper , quia Deum habet quem amat. Et quomodo potest esse pauper , qui te , qui es omne bonum , habet in conscientia ? Qui habet aurum in arca , dives non est : sed qui te habet in conscientia , dives est. Vnde scribitur de te : *In me sunt divitiae & gloria , ut ditem omnes diligentes me , & thesauros eorum repleam.*

2. O misericordissime Domine Iesu Christe ,

ste, in amore ditissime, qui ditari cupit, & satiari, dilectionem veram debet habere, quæ mentem reficit, perficit, & eidem sufficit. Nam qui vera dilectione caret, etiamsi omnes divitias mundi haberet, & insuper sapientiam, fortitudinem, simplicitatem, pulchritudinem, omnes denique virtutes à Philosophis conscriptas, pauper tamen & miserabilis esset; quia illis non contentus, alia semper appeteret. Ideo de quodam diligente terrena scribitur: *Tu dicas, quia dives sum & locuples, & nullius ego: & nescis quia tu es miser & miserabilis, pauper, nudus & cacus?* Suadeo tibi emere aurum ignitum, ut locuples fias. O clementissime Domine Iesu Christe, amor consumens, quantam doctrinam nobis peccatoribus ostendisti pro salvatione nostra moriendo; ut emamus aurum ignitum, per quod intelligitur amor & dilectio! Quia sicut aurum excedit omnia alia metalla, sic dilectio omnes alias virtutes.

3. Debet autem hoc aurum esse ignitum amore tuo, & delectatione tua summe inflatum. Neque emitur nummo vel denario, sed bona voluntate, bono desiderio, bono affectu. Vnde hac dilectione nihil melius emitur, & nihil charius est, cum possidetur. O piissime Domine Iesu Christe, locuples in amore, ego sum miser & miserabilis, pauper, nudus, & cacus. Da mihi hoc aurum ignitum, hoc est, dilectionem tuam, quo inflammetur mens mea, ut reficiatur & quietetur in te, & ipse ditatus gratia & dilectione tua, ad regnum amoris perveniam sempiternum, Amen.